Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26136
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uit prophetico testimonio. Ego uir uidens paupertatem meam.
id est approbans. Hanc et apostoli ueri sequaces domini secuti sunt. qui om
nia cum uoluntate habendi reliquerunt. nudi nudo christo ad
herentes. et post sicut erat eis cor unum et anima una. sic erant omnia
communia. Et licet illa cum rebus non improbetur. ista tamen securior est. lon
ge et nobilior et expeditior. Nam et athleta nudus agonizat. nudus
uiator securius et liberius cursitat. nudus aquam tranat. Nudus est cum quo
luctamur. nudemur ne inueniat quod teneamus. Illa que est cum rebus non est
adeo secura. quia quis continebit ignem in sinu et non aduretur. Et qui
tetigerit picem inquinabitur ab ea.

Paupertas necessaria. grauem habet miseriam. simulatoria fal
sam prefert leticiam. uoluntaria nullam sentit penuriam. Item.
Necessaria habet actionem. simulatoria celat seductionem. uolun
taria parit deuotionem. Voluntariam paupertatem tria perficiunt.
seculi contemptus. proprie uoluntatis abdicatio. ut sit cor contritum. ple
na obedientie executio. Plena ut ibi christianus perfectus sit. et obe
dientie terminum figat et metam. ubi et christus. qui factus est obediens usque ad.

Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.
Inter ceteras meritorum dotes et cetera uirtutum insignia. quasi
solaris radius et preconialis titulus est mansuetudo. que resful
gent et nobilitantur religiosi uiri. in oculis domini. Hanc christus qui est
forma. digne deo uiuendi. exemplo commendauit et uerbo. Exem
plo quando cum publicanis et peccatoribus manducauit quando mu
lierem peccatricem tangi inungi deosculari non dedignatus est. et
quando iohannes super pectus eius recubuit. Verbo. beati mites. et cetera. dis
cite a me quia mitis sum et humilis corde. Ipse acquisitiue nobis datus est.
nobis uixit. nobis mortuus est. sic liberauit nos sua passione ita instru
xit et uite formam tribuit sua conuersatione. Aduersarius noster qui
et innumeroso militat exercitu et multiplici triumphat effectu.
tribus iaculis patientiam inpugnat. Dampno rerum. contumelia
uerborum. cruciatu corporum. Ipse et ex subtilitate nature et longa
rerum experientia nouit. quo quis hamo ualeat inescari et ca
pi. Hanc triplicem iniuriam exaggerat et exasperat quantitas